



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Marii Mercatoris S. Augustino Æqualis Opera Quaecumque Extant**

[Complectens Ea Quæ Ad Hæresim Nestorianam Spectant]

**Marius <Mercator>**

**Parisiis, 1673**

Caput XXI. Aliud.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14215**

*nem mysterii Dei Christi.* Ecce mysterium Dei, mysterium nominat Christi, & plene intelligere quosdam vult in agnitionem ipsius. Quo igitur intellectu opus erat, volentibus Christi mysterium discere, si fuerant audituri, quod inhabitaret in homine Deus? Opus est autem nimio intellectu, ut scias contra, quod Verbum, cum sit Deus, factum sit homo.

CAPUT XXI.

*Aliud.*

*1. Thess. 1. v. 8.* **A**vobis enim sonuit sermo Domini, non esse commemorat, cum etiam Christus dicat: *Qui credit in me, habet vitam aeternam.* Sermonem autem praedicationem dicit de seipso.

CAPUT XXII.

*Aliud.*

*1. Thess. 2. v. 1.* **I**psi enim scitis introitum nostrum apud vos, quoniam non inanis fuit; sed ante multa passi, & contumeliis affecti, sicut scitis, in Philippis; *confisi sumus in Deo collo-* qui ad vos evangelium Dei. Ecce loquens in Deo, Dei evangelium memoravit; qui praedicat gentibus Christum.

CAPUT XXIII.

*Aliud.*

*Ibid. 3. 4.* **R**ECORDAMINI, fratres, laborem nostrum & aramnam, nocte & die operantes, ne quem vestrum gravaremus; praedicavimus evangelium Dei inter vos. Et iterum: *Ibid. v. 13.* Propterea & nos gratias agimus Deo sine intermissione; quoniam cum percepissetis a nobis verbum, auditu Dei excepistis, non ut verbum hominum, sed ut verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis. Nonne evidenter evangelium Dei, & Dei verbum praedicationem de Christo commemorat, quippe id omnibus manifestissimum est: *Tit. 1. v. 11.* Apparuit enim gratia Dei salvatoris omnibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, sobrie & iuste & pie vivamus, in hoc saeculo, expectantes beatam spem, & adventum gloriae magni Dei, & salvatoris nostri JESU CHRISTI. Ecce Deus, & magnus, plenissime nominatus est Dominus noster JESUS CHRISTUS: ipse est enim, cujus adventum gloriae expectantes, sobrie vivere, & irreprehensibiliter festinamus. Sed si est homo *Deobeyer*, quomodo sit magnus Deus? Vel quomodo beata spes in eum? Siquidem verus est profecto Jeremias dicens: *Jerem. 1. v. 5.* Maledictus, qui spem suam ponit in homine. Neque enim Deum ipsum possit efficere, ut ante dixi, id quod est Deum portare. Denique doceant nos, quid impediatur, alios etiam omnes Deos esse & adorandos, qui in se habuerint Deum? Deum autem & magnum & beatum, habentem illuminationem Christum nominat beatus Paulus, qui invenitur dicens de Judaeis & Emmanuel: *Rom. 4. v. 9.* Quorum patres, & testamentum, & promissiones, & ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia benedictus in saecula saeculorum. Amen. Quod vero secundum divinam revelationem faciebat praedicationem, perspicuum fit, ipso dicente: *Gal. 1. v. 1.* Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Ierosolymam cum Barnaba, assumpto etiam Tito. Ascendi autem secundum revelationem, & exposui eis evangelium, quod praedico gentibus; scorsam autem iis, qui videbantur aliquid esse, ne forte in vacuum curretem, aut cucurrissem. Christum praedicans gentibus, ut Deum, divinum nominat ipsius ubique mysterium.

Gg ij